



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. 2. Quæ conditiones requirantur, vt aliquod beneficium sit effectus  
prædestinationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

producit illum, quamuis productio ad extra in tempore incipiat.

5. Posterior de claratur. Secundum autem declaratur, quia in causalitate Dei effectiua intelligere debemus, quidquid est perfectionis in causalitate physica, morali, & artificiosa, quae omnes ad genus efficientiae spectant. Voluntas ergo exequens, quasi proxime applicat, vel influat causalitatem physicam. Voluntas autem praehiens, quatenus intendit finem, & eligit media, pertinet ad causalitatem moralem: quia (ut supra declaravi) haec voluntas requiritur ex parte operantis, ut conuenienti modo operetur propter finem. Unde ex vi illius voluntatis sequitur mediocrius executio, quamuis magis remote seu mediate. Sicut in nobis, intentio finis habet quandam efficaciam: etiam circa ipsam executionem, quatenus efficit electionem, & media electione progreditur vsque ad usum. Denique artificiosa causalitas pertinet ad scientiam, ut applicatam per voluntatem, quam etiam diximus suo modo sub praedestinatione concludi.

ex definitione praedestinationis data libr. 1. Diximus enim praedestinationem includere ordinationem ad supernaturalem finem, iuxta peculiarem usum illius vocis in hac materia: ergo causalitas eius est in ordine ad eundem finem: ergo effectus eius pertinere debent ad ordinem gratiae. Qualiter autem rationem gratiae participare debeat, ex sequentibus capitibus constabit.

Hic vero duo inquiri solent, vnum est, an necesse sit talem effectum pertinere ad gratiam redemptionis Christi, id est, esse effectum mortis eius, aliud est an sit ex merito Christi. Nam quidam primum putant esse necessarium, quia vbiunque Augustinus tractat de effectibus praedestinationis, illos attribuit gratiae Christi, ut videlicet libr. de Praedestinatione Sanctorum, & de Bono perseverantiae, & clarissime epistola 95. Hanc (inquit) Apostolica doctrina gratiam hoc nomine appellat, qua saluamur, & iustificamur ex fide Christi. Et in Concilio Mileuitano, & Araucano eodem modo sermo est, de necessitate gratiae per Christum, ergo de ratione effectus praedestinationis est, ut sit beneficium gratiae per Christum conferendum. Apud Augustinum autem idem est quod effectus aliquis sit ex Christi meritis, & quod sit ex morte & redemptione eius, quia per illam, vel in ordine ad illam omne suum meritum compleuit.

Dico tamen non esse necessarium ad effectum praedestinationis, quod sit effectus mortis, passionis aut redemptionis Christi, formaliter loquendo. Multum enim distinguendum puto inter Christi meritum simpliciter dictum, & inter mortem, passionem, sanguinem, & redemptionem eius. Existimo enim non solis illis meruisse, quos redemit, vel pro quibus mortuus est, & consequenter meritum eius, ut tales sunt, sed inueniri etiam in actibus, qui a statu mortali abstrahunt ut sunt amor, misericordia, & similes. Unde licet necessitas mortis, & passionis ex peccato orta fuerit, sicut & necessitas redemptionis, ut redemptio est: at vtilitas, & excellentia meriti per se spectari potuit, & latius extendi. Sic ergo existimo gratiam, & iustitiam datam Adam in statu innocentiae fuisse effectum praedestinationis: licet non fuerit ex Christi morte aut redemptione ut sic: nam ut Augustinus ait libr. de Correctione, & gratia, capite 11. Adam, in illis bonis status innocentiae Christi morte non eguit. Ademque de Angelis dicendum est, quos praedestinos esse supra ostensum est: fuerunt ergo in illis praedestinationis effectus, cum tamen illi non fuerint redempti, nec pro illis proprie mortuus fuerit Christus. Deinde supra est ostensum, praedestinationem ut sic, non supponere culpam, quam supponit redemptio, & mors: ergo nec praedestinationis effectus ut sic, id est, in sua formalitate, & generalitate sumpti, non dicunt ordinem ac Christum ut redemptorem. Quamquam respectu hominis lapsi tales effectus ex redemptione sint, de quo homine agebat Augustinus dicta Epistola 95. & alijs loci.

Aliud vero dubium est, an saltem abstrahendo a morte, & redemptione, & loquendo simpliciter de merito, sit de ratione effectus praedestinationis, quod sit gratia, non tantum Dei, sed etiam Christi; id est, ex fide in Christum, vel ex meritis eius proueniens: hoc enim frequentius legitur apud Augustinum, ita, ut saepius vim faciat contra Pelagium, ut non solum gratiam, sed gratiam Christi, & per Christum facatur. Dicendum vero est, aliud esse loqui formaliter de ratione praedestinationis secundum se, seu ut possibilis, aliud vero loqui de facto. Priori modo non est de ratione effectus praedestinationis, quod sit effectus gratiae per Christum datae. Quia satis est, quod sit effectus prouidentiae supernaturalis, in ordine ad consequitionem vitae aeternae, cum effectus obrinendam, ut mox dicemus. Nam potuisset Deus homines, vel Angelos praedestinare eisque dare

CAPVT II.

Quae conditiones necessariae sint, ut aliquod beneficium sit praedestinationis effectus.

1. UT certum fundamentum generale habere possimus ad praehiendum in particulari, quanam beneficia Dei praedestinato collata sint praedestinationis effectus, oportet prius vniuersaliter inquirere conditiones omnes, per quas valeat ratio propria talis effectus cognosci, & consequenter discerni possit effectus a non effectui praedestinationis. Ratio autem difficultatis duplex esse potest. Prima, quia vel omnia beneficia, quae Deus praedestinato confert, sunt effectus praedestinationis eius, vel non. Primum dici non potest, quia alias creatio, conseruatio & omnes effectus prouidentiae circa praedestinatam essent effectus praedestinationis, quod dici non potest, ut suppono: si autem dicatur secundum, oportet assignare conditiones, in quibus praedestinationis effectus ab alijs beneficijs distinguuntur. Dicunt aliqui, omnia quidem beneficia gratiae collata praedestinato esse praedestinationis effectus, non tamen beneficia naturalia. Contra hoc vero insurgit secunda difficultas, quia multa beneficia gratiae communia sunt reprobis & praedestinis: ergo per se non sunt praedestinationis effectus, ergo nec in praedestinis erunt.

Duplex ratio quaestio nem reddis dubiam. Prior.

Buasio.

Contra hanc euasione m insurgit posterior ratio dubitandi.

Principio statuendum est nihil esse posse praedestinationis effectum, quod non sit effectus Dei. Itaque prima conditio ad effectum praedestinationis necessaria est, ut inter proprios Dei effectus comprehendatur. Probatur primo ex Augustino saepissime dicente praedestinasse Deum, quae fuerat ipse facturus de praedestinatione sanctorum c. 10. Vbi consequenter ait, latius patere praescientiam quam praedestinationem: quia Deus praescit etiam illa, quae ipse non facit, ut peccata: non autem praedestinat nisi quae facit. Ratio autem est, quia praedestinatio vel est actus absolutus, & efficax diuinae voluntatis, & beneplaciti, vel talem actum includit: quod ergo procedit a praedestinatione, ut effectus eius, procedit ab illa voluntate Dei: ergo est effectus Dei: quia Deus per huiusmodi voluntatem causat suos effectus: igitur effectus praedestinationis esse debet effectus Dei.

Dico secundo. Effectus praedestinationis pertinere debet ad supernaturalem prouidentiam, & consequenter sub ordine gratiae aliquo modo contineri. Hoc sumitur ex eodem Augustino loco citato dicente: Praedestinato est gratiae preparatio, gratia vero est ipsius praedestinationis effectus. Probaturque sufficienter potest

2. Assertio. Effectus praedestinationis pertinet ad supernaturalem.

ralem Dei prouidentiam.

4. Duorum quae stionem uentur. Platitum August.

Concil. Mileuit.

Conditio ad hunc modum.

August. Genui. modus. bene. gratia. quae. ma. praed. in. bu. praed. nomin. tim.

6. Aliter. quod in. bene. uero.

Dubij. sicut.

dare

dare effectus illi fini consentaneos ex sua mera voluntate, sine ordine ad meritum Christi. Imo in Angelis ita de facto accidisse multi opinantur. Et de Adamo verius existimo, primam gratiam, quam in statu innocentiae habuit, fuisse effectum praedestinationis eius, cum tamen de illa cōtrouersum sit, an fuerit ex meritis Christi. At loquendo de facto probabilius credimus omnem effectum praedestinationis, tam in Angelis, quam in hominibus esse effectum meritum Christi, vel ut redemptoris quoad effectus reparationis, qui hominibus lapsis conferuntur, vel ut capitis, & vniuersalis iustitiae fontis, quoad omnes, ut supra tactum est, & latius in primo tom. 3. p. est probatum. Igitur de facto recte dicitur, ad effectum praedestinationis necessarium esse, ut sit aliquo modo gratia Christi, seu ex illa.

7. Conclusio. seu prouidentia supernaturalis esse effectus praedestinationis, sed oportet, ut ex intentione efficaci perducendi talem hominem ad vitam aeternam conferatur. Itaque haec est prima differentia inter gratiam, seu vocationem collatam praedestinato, & reprobo, quod respectu reprobi non datur ex intentione efficaci salutis eius: in praedestinato vero inde habet originem. Hoc significat August. quoties differentiam constituit inter vocationes, quarum vna nascitur ex proposito Dei, & non alia, nam per Dei propositum dictam intentionem intelligit, ut lib. 1. ostendimus. Ratio vero est, quia primum fundamentum totius praedestinationis est illa intentio, ut supra vidimus: ergo necesse est, ut omnes effectus praedestinationis ab illa proficiantur. Item hac ratione dicunt Theologi, finem, licet sit vltimus in executione, debere esse in intentione primum, quia intentio finis est radix totius prouidentiae, quae ad consequentiam talis finis ordinatur: ergo effectus illius prouidentiae necessario esse debent effectus illius intentionis. Haec autem prouidentia in negotio salutis electorum est praedestinatio: & effectus huius prouidentiae sunt illi, per quos talis intentio executioni mandatur: ergo necesse est, ut effectus praedestinationis supponant illam intentionem, & ab illa procedant.

8. Vnde obiter intelligitur, generalis media, beneficia, & causas gratiae, quae communia sunt praedestinati, & reprobis, ut sic non esse praedestinationis effectus. Huiusmodi sunt Christi Incarnatio, Passio, Sacramentorum institutio, & similia. Ratio est, quia haec non sunt peculiariter ordinata ex intentione efficaci saluandi praedestinos, sed ex generali prouidentia gratiae, & antecedenti voluntate saluandi omnes. Secus vero est de particulari applicatione horum mediolorum, cum peculiari vtilitate, & actuali efficacia ad comparandam vltimam salutem: talis enim applicatio ex peculiari intentione efficaci dandi gloriam procedit, & ideo est praedestinationis effectus.

9. Vltimo dicendum est, de ratione, ac necessitate effectus praedestinationis esse, ut cum effectu conferat aliquo modo ad aeternam salutem consequendam. Nam si collatio gratiae non attingat vsque ad consequentiam gloriae, non effectus praedestinationis propriae, & perfectae, de qua nunc agimus, ut in reprobis videre licet, qui veram iustitiam interdum consequuntur, ut definit Concilium Tridentinum sessione 6. Non est autem necesse, ut ipsamet praedestinationis effectus in gloria perpetuo maneat: alias tantum habitus gratiae, qui cum illa in hac vita infunduntur, essent effectus praedestinationis: quia in hac vita vix dantur alia dona gratiae, quae in beatitudine perpetuo durēt: illud autem est plane falsum, ut videbimus. Satis ergo est quod beneficium gratiae cum effectu conferat ad gloriam obtinendam, siue immediate, ut donum perseverantiae & gratia finalis, siue mediate, quatenus vnus effectus gratiae est

medium ad alium, & sic consequenter vsq; ad obtinendam gratiam, quae peruenit vsque ad statum gloriae. Sic vocatio efficax, v. g. in se quidem non durat perpetuo: tamen quia confert ad effectum perpetuum, est effectus praedestinationis. Si autem praedestinato daretur aliquod auxilium gratiae, quod de facto nullam haberet efficaciam, nec fructum in ordine ad gloriam propter resistantiam liberae voluntatis, ille non esset effectus praedestinationis, sed communis prouidentiae gratiae, ut est in reprobo.

Dices. Fieri potest, ut hoc ipsum auxilium detur praedestinato ex speciali Dei prouidentia, & intentione: ergo esse non potest ex praedestinatione. Respondet, si Deus non daret haec auxilia cum certa praesentia de efficacia, seu effectu eorum, id quidem fieri posse: nam tum oporteret, ita Deum applicare vnum medium ad consequendum finem intentum, ut si illud non succederet, adderetur aliud. In nostra vero sententia id locum non habet, quia Deus in praedestinatione sua ex intentione absoluta finis applicat media certa, & infallibilia, quae habet in sua praesentia conditionata: ergo quando media talia non sunt, non procedunt ex illa intentione, ideoque non sunt praedestinationis effectus. Hoc autem intelligendum est, quando medium omnino frustratur omnino effectu, qui efficaciter ad gloriae consequentiam conferat: nam si non omnino frustratur, dum modo aut virtus eius in alio maneat, aut sit aequalis ratio, vel moralis occasio alterius gratiae producentis hominem cum effectu ad vitam aeternam, id satis est, ut sit praedestinationis effectus. Quae omnia descendendo ad particulares effectus clara fient.

10. Obiectio. Reijciuntur.

CAPVT III.

Sine gloria, & perseverantia praedestinatio- nis effectus.

Incipimus ab effectu gloriae, quia licet sit vltimus in executione, est tamen intentione primus, & dignitate excellentior: coniungimusque cum illo perseverantiam, quia haec duo, ita inter se coniuncta sunt, ut distingi non possint. Durandus ergo in 14 quaestione 2. num. 10. existimauit gloriam, & beatitudinem non esse praedestinationis effectum. Ratio est, quia praedestinatio est tantum de medijs, non de fine: gloria autem est finis, non medium praedestinationis. Vnde sicut hac ratione creditur (ut supra retuli) beatitudinem, seu gloriam non comprehendit sub obiecto, seu materia, circa quam versetur praedestinatio, ita in praesenti ob eandem causam excludit beatitudinem ab effectibus praedestinationis.

Effectus gloriae est vltimus in executione, primus in intentione. Durand.

Dicendum vero est primo. Gloriam essentialem, & consequenter bona omnia, quae ad illam consequuntur in aeterna vita esse effectus praedestinationis. Haec assertio est Diui Thomae dicta quaestione 23. articulo 2. & 8. & communis Theologorum in distinctione 40. & 41. Fundamentum eius primo sumitur ex verbis Pauli ad Romanos octauo. Quos praedestinauit, hos & glorificauit. Quae sola lectio retenta est in vulgata latina nuper edita auctoritate Pontificia: nam alia lectio habebat, Magnificauit. Et ideo aliqui exposuerunt illum locum non de gloria beatitudinis, sed de claritate quadam per famam, & bonum nomen. Sic enim orabat Christus, Clarifica me Pater. Ioann. 17. Et verbum Graecum vtrique loco respon- dens est idem. Sed est expositio contra Patres, & Diuina contra intentionem Pauli, tum quia loquitur de gloria, quae est per se debita iustificationi, estque maxime intenta per praedestinationem: illa vero accidentalis gloria, & extrinseca, vel per se non spectat ad ordinem praedestinationis, quia & potest esse in reprobis, & potest non esse in aliquibus praedestinat: vel si sumatur, ut pertinet ad accidentalem gloriam

Assertio a- ssumitur. D. Thomae distinctio 40. & 41. fundamentum. Rom. 8. Aliquorum expositio.